UC 726

N. 14.

†

Dissertatio Prima Academica. Quomodo Dementia sit effectus Laetitiae.

Tantum profecto mihi (Perenobiles Academici) cum vestrum inter ordinem sapientissimo in hoc Athaeneo consessum me proxime et aridum voti omnium conspirantibus adscivistis, affulsit oblectamenti; ut honoris hujus Celsitudine ad summum gaudii evecto fastigium, dissertatione: Quomodo dementia sit effectus Laetitiae, explicaturo: Dubitandum arbitror, an mens propinquam mea de dementia ferdet judicium, judicium confundat dementia. Verum benevolentiae vestrae favonio sedato rationis pectore, doctrinaeque raditus expeditis ignorantiae nubibus, mentis navicula per altum dissertationis tentando viam, felicius quam virium remigio spatiabitur; cum naufragio haud jactata etc. Licet vepillulis inconcinna ad perorationis tandem littora deferet. Quod equidem bene cadit, ut enim dulci lucubrationum agmine vestra in conspectu postea veniat sapientia, et quadam veluti vicissitudine jucunditas asperitati succedat, debet prius a vobis in silentii portum attolli amarum eloquium orationis meae: Qua expectationi vestrae, si fas est, officiose placebo, non inquirendo an possit dementia sequi, seu effectus esse Laetitiae, hoc enim non quaestionis est titulus, nec patrocinantis oratoris opera indigeret, cum testetur sacra, et profana doctrina testetur sacra et profana historia, et testetur frequens in pluribus observatio: Sacra doctrina illis Ecclesiastici verbis (1) cor sapientium, ubi tristitia est et cor stultorum, ubi laetitia est verbis D. Ambrosii dicentis (2). Deus delinit, et gaudiis nostris ponit modum, ne supra alveum effusa rationem obruant. Sacra historia exemplo Davidis, et Salomonis, qui ubi mare felicitatis sulcarunt, Sirena fuit voluptas, quae adeo fallaci rationis lumen extinguens, ut ad insaniae scopulos allicerent: Sic expressit Bernardus dicens (3) sapiens David, sapiens Salomon fuit, sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte alter in totum desipuit. Profana doctrina verbis Aristotelis illis (4) Impedit concilium voluptas eoque magis, quo major sit, qui enim in

(1) Ecclesiast. Cap. 7.

(2) D. Ambrosius lib. 1. de Cain, et Abel cap. 4.

(3) lib. 2. de consideratione ad Eugenium.

(4) Aristotel. 7. Ethic. Cap. 11.

ea sit, nil agitare mente, nil ratione nil cogitatione consequi potest. verbis Catonis Censorini illy (5) secundæ res lætitia transversum trudere solent a recte intelligendo atq. consulendo. Profana historia Exemplo Cleopatræ quæ cum ad Ægiptiam opulentiam sibi videret adjectura Romani Imperii gloriam, tantæ felicitaty gaudio insanivit. Ideo Horatiy de Cleopatra cecinit. (6)

Fortunaq. dulci ebria sed minuit furorem,
vix una sospes navis ab Ignibus.

Exemplo Alexandri Macedonis Apud Curtium, et Plutarch. (7) qui cum inter hostium agmina inter sagittarum Caterva, inter Cadentium militum strages, et q.do cum Virgilio erat (8) . . . . crudelis ubique

Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago

Immunis excederet, adeo extra gaudii confinia elaty ad insaniæ regionem attingit, ut se humanum Deum, seu divinum hominem prædicaret. Exemplo tandem Annibalis apud Titum Livium (9) et Valerium Maximum (10) Quem non viarum amfractus, non aquarum voragines, non coeli gravitas, non cibi difficultas, quem nullus periculi terror potuit commovere nulla calamitas avertere, nullus adversantis fortunæ impetus frangere, Capuæ hibernantes voluptates immodicæ enervarunt. Testat. deniq. observatio medicor. Stultis ex lætitia non raro medentium. Sed quid auctoritate, quid exemplis rem firmare contendo quam sensus firmissime stabilivit. Non igit. alias hic doctrinas et quæ inseri possent historias, ne vobis sim gravis, scribam, ac quod, cum mihi non sit propositus scopus, an ex lætitia dementia fiat, sed quomodo, supervacanea forent apud vos argumenta.

Quapropt. mihi etsi rudi Anatomico liceat interiora prius quæstionis viscera dissecare, ut difficultatis medulla amplius pateat. In dissertationis Corpore continet. Lætitia quæ apud Morales Philosophos, (11) est affectus facultatis concupiscibilis causatus ex apprehensione boni possessi, vel iuxta D. Thomam (12) ratio Concupiscibilis proveniens ex profectionis appetitæ conjunctione iuxta interiorem apprehensionem sensus vel intellectus. Continet. Dementia quæ universali Medicorum placito (13) (deposita illa quæ ab illis vocat. Melancolia) est delirium sine febre cum furore et audacia. Habet ortum vel a calida, et sicca cerebri ab atra bile intemperie juxta Galenum (14) vel a fervida in cerebro spirituum dispositione juxta Sennertum (15) vel ab eorum Confusa motu juxta Etmullerum (16)

(5) Cato Censorinus In Orat. pro Rhodiensibus.

(6) Horat. 1. carm. 37.

(7) citat. a P. Fco Mendoza S. Jes. In Sollemnat. 15.

(8) Virgil. lib. Eneid.

(9) Titus Livius 3. secundi belli Punici.

(10) Valer. Max. lib. 9. cap. 1.

(11) Philos. Morales cap. de passionibus Animi.

(12) 4. Sent. dist. 49. q. 3. art. 1.

(13) Commt. Medici tal Antiqui, quam Recent.

(14) Gal. lib. 3. de locis affect. cap. 7.

(15) Sennert. tom. 2. lib. 1. part. 2. Cap. 15.

vel ab atra bile occulta qualitate affecta juxta Platerum. (17) Adverto quia non Medicis loquor, sed Academicis, inter tot Medicorum dissensus concentum unum adducere oportet, quo affectum, quem nobis ante oculos stulti objectant, descriptione, vobis ante oculos stultum proponam: Sit ergo mania quae deposita facultatum internarum Principe de [?] cerebri throno, non minus homo toto corpore furit, quam animo ultionis libidine excandescit, undique fervet, ferturque sanguis et spiritus, et caeco caloris impetu, caecus per amphitheatrum excurrit, minatur. Frons contrahitur, supercilia tenduntur in arcum, horrendo obtutu saeviunt oculi, tumescunt patulae nares, et fuliginis flammis interruptas expirant, iratum ore tempestates evomit, obvios quoscumque dilacerat, catenis quibus constrictus, sibi met ipsi non parcit, et denique quidquid immane molitur animus, corpus exprimit universum.

Hic jam scitur (ex dictis Academicis) exsuccatis partibus, ad quomodo possimum Insania ex gaudio disponendo Anathomen, plane et plene statuendum censeo, fieri a dispositione in cerebro ab spiritibus, vi intensi gaudii impetuose commotis, debilitato, producta speciei ipsi confuse impressas non corrigente. Haec doctrina quamvis tot Auctoribus certa, tot Medicis celebris, tamen rationis momento explanatur, quia in gaudio cor incalescit, dilatatur, saltitat, cum sanguis et spiritus cardialesque facti per corpus uberius diffunduntur: haec omnia quamvis apud Antiquos Modernosque recepta singula ex diversis constant doctoribus. 1° incalescere cor in laetitia ex Tullio (18) dicente: Nimia laetitia omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat. Dilatari ex D. Thoma ibi (19) laetitia imponitur a dilatatione cordis. Saltitare ex Alberto Magno (20) quando ait: exultatio est quaedam exaltatio in jubilo, cum cordis gaudium saltat in corporis jucunditatem. Spiritus tandem et sanguinem per corpus diffundi ex Galeno ibi (21) Gaudium est repentina effusio sanguinis et spiritus ad exteriora: cumque adquirat sic cerebrum, vel calidam et siccam intemperiem, vel spiritus fervidam dispositionem aut motum confusum, quae sunt insaniae causae, a quarum quacumque illa dispositio in cerebro

(16) Ermuller. de morb. hum. corp. in genere par. 2. cap. 16.

(17) Platerus citat. a Riber. cap. 12. de Mania.

(18) Tullius. 4. Tusculan. q.

(19) D. Thom. 1.2. quaest. 31. art. 3. ad 4.

(20) Albert. Magnus super Magnificat.

(21) Galen. de 12. method. cap. 3.

speciei impressis cum spiritibus confuse mixtis non corrigeris
generaretur; quae dispositionem variam contrahere a corde san-
guinem, et spiritus, a sanguine et spiritu partes, a partibus ac-
tiones est certum apud medicos dogma: quoque igitur est certa
supra stabilita doctrina.

Si praeterea extrema producit gaudium mutationes in corpore
et subitaneas mortes apud Platonem (22) atque Galenum (23) si
magnos et varios affectus juxta Avencinum de prospera fortu-
na discretissime scribentem (24) illius risum esse irrisum,
illius favorem esse furorem, illius munera esse funera, illi-
us cumulum esse stimulum, et ex Nectareis regulis ipsa eius
favoris merendos si plenis vasis hauriant, nihil est am-
plius majoris momenti pro confirmatione illius cerebri
dispositionis a gaudio quae si est ita magna et extrema.

Nec in hac dementia ex gaudio Anathome statutam doctri-
nam enervant illa proverbiorum verba (25) Cor gaudens aetatem
floridam facit, seu ut est in hebraeo medicinam facit. nam
gaudium quod floridam facit aetatem, est remissum et senium
accedens; at gaudium quod inducit insaniam, est intensum et
subito irruens. Neque etiam facit illud aliud proverbiorum dicen-
tem (26). spiritus tristis exsiccat ossa, siccitas autem insani-
am inducit, neque non gaudium ejus contrarium: quod inter
medicos eundem effectum ab oppositis fieri haud repugnat,
agentibus saltem diverso modo: neque doctrina spirituum
motus in gaudio, qua potissimum assertionis fundamentum
molitur, demolitur a Moralibus Philosophis explicantibus
gaudium per quietem appetitus in bono (27) nam quies haec
non est privativa pro motus cessatione, sed positiva pro
tranquilla gaudii pace in proprio centro ob boni possessio-
nem. Nec demolitur a medicis exemplo vertiginis, in qua
ratio a ratione non ruit, esto in hac spiritus cum speciebus
impressis commoveantur: non siquidem afficiuntur in ver-
tigine tanta vi, nec ita valebat, ut in cerebro illa deli-
rii et dispositio producatur. Pro majori dicti intelligentia
enodare hic oportebat quomodo cum cerebro spiritus et im-
pressae species ad delirium confluant: Quaestio, certo etc.
difficilis curiosa: verum cum patientia vestra fautrice
mentis navigium hucusque feliciter, etsi rudi stilo, cucurre-
rit, opus erit, collectis argumentorum velis, illud ad silen-
tii portum appellere, antequam molesta longitudinis sco-
pulo mea oratio illidat.

Josephus Torres e Abal Artium, et Medicinae D.

(22) Plato 3. de Republica

(23) Gal. 12. Methodi

(24) Nicolaus Avencinus. Orat. 31. Academica.

(25) Proverb. 17.

(26) Proverb. Ibi.

(27) Goudin 4. Part. Philos. Quaest. 3. de Passion. Art. 2. §. 3.

15.